



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 59. Propositiones ab Alphonso Tostato ad disputandum coram Papa
propositæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

contentione, tandem vero summi sui Ca-
pitis precibus acquievere membra, ac Fe-
lix ex quinque Cardinalibus, quos crea-
verat, nonnisi duos proclamavit, scilicet,
Joannem Tarentasiensem, & Ludovicum
Vifensem natione Lusitanum. His enarratis
Augustini Patricii acta finiuntur, in quibus
nil omnino memoratur de supradicta Lugdunensi
urbe, quæ ad Basileensis Synodi continuationem
selecta dicitur.

§. LIX.

*Assertiones ab Alphonso Tostato ad
disputandum coram Papa
propositæ.*

Senis cum esset Eugenius Papa, Al-
phonsus Tostatus Hispanus, qui postea
Abulensis Episcopus eo tempore nonnisi
vigesimalimum octavum, seu nonum ætatis
annum agebat, præsentem summo Pontifi-
ce theses unam, & viginti ex Theologia
depromptas publicæ disputationi propo-
suit. Harum nonnullæ minus probæ exi-
stimabantur, ac inter ceteras hæc præ-
cipue: *Etsi nullum peccatum cujuscunque
conditionis irremissibile sit, Deus tamen
nec a pœna nec a culpa absolvit, nec aliquis
Sacerdos absolvere potest. Item, Christus
non est mortuus die vigesima quinta Mar-
tii, ut communis fert sententia, sed tertia A-*
prilis.

E 2

Sæcul. XV.

A C 1443.

Bellarm. de
Script Eccl.
Spond ad
an. 1443.

Sæcul. XV. *prilis.* Has propositiones stricto calamo
A.C.1443. Joannes Turre-cremata Cardinalis, non
 minus vehementer ac solide impugnavit,
 ad quæ Tostatus confestim respondit
 edito commentario, cui *Defensorii* nomen
 fecit, in quo tamen sua dicta iudicio Ec-
 clesiae, & Pontificis subjecit.

§. LX.

*Eugenius Papa Senis Romam
 profectus.*

*Platina. in
 Eugen. IV.*

Posthæc Eugenius Papa Senas reliquit,
 Romam reversurus, quorsum etiam
 die vigesima octava Septembris post no-
 vem & amplius absentiae suæ annos per-
 venit, summis honoribus, ac incredibili
 lætitia exceptus; cuncti enim Princi-
 pes, qui id temporis magnam hanc Orbis
 urbem incolebant, adventanti summo
 Pontifici certatim obviam effundebantur;
 Populus quoque festivis acclamationibus
 intimi sui gaudii signa prodebat, non
 solum ob Principis sui præsentiam exul-
 tans, sed vel maxime propter sublatum
 novum vectigal vino impositum, quod
 Pontifex necdum urbem ingressus, Ro-
 manis graviter inde conquerentibus, li-
 beraliter remisit. Aliquot post diebus
 Eugenius ad Palatium Lateranense pro-
 cessit, & Concilium Generale eo loci se-
 celebraturum denuntiavit, missis ad om-
 nes